

MONUMENTUM  
VIRTUTIBUS ET MERITIS

VIRI

MAGNIFICI, NOBILISSIMI

AMPLISSIMI

IOANNIS LUIS

CONSULIS

INCLYTAE REIPUBLICAE HAMBURGENSIS

*PUBLICO NOMINE*

POSITUM

A

IOANNE GEORGIO BUESCH

MATHES. PROF. ET ANNO 1788 GYMNASII RECTORE.




*Adolphus Jure*

HAMBURGI

LITTERIS CAROLI WILHELMI MEYN, AMPLISSIMI SENATUS, GYMNASII

ET SCHOLAE TYPOGRAPHI.

Tesay  
Tesay  
Tesay



**C**ivitatem, complurium suffragiis et auctoritate quæ regitur, virtuti quasi fundamento inniti, *Montesquius*, si non primus affirmavit, saltem magis explicite, quam qui ante eum, tradidit. Scilicet non illam virtutem putat, quam philosophi præcipiunt, ad summum bonum eius ope enisuri, nec magis eam, quam doctrinæ moralis Christianæ præcepta poscunt, verum civilem illam, quam sensus commodi publici suadet, id quærentem, quod non nobis sigillatim sed quod societati conducit, cui commixti vivimus, fortitudinem animi mala publica non serviliter tolerantem, sed remedia iis adhibenda circumspicientem, integritatem et incorruptibilitatem nil ambitiose vel vanæ gloriolæ causâ, sed ob id solum, quia civium interest, agentem.

Hoc sane quasi præcipuo documento constare puto, an respublica vere floreat, necdum robore primitivo deficiente labascet, si virtutis huius fat multa et fat magna exempla existant, si ipsis in fatis adversis non omnino civitas illis careat. At si alia opibus floreat, luxuriaque sua invidiam exterorum provocet, pro certo habeas licet, iam illi deteriora fata imminere, et, si ingruerint, vires ad obsistendum defecturas esse, si patuerit, nullum aut plane exiguum in ea virtutis honorem esse, multa que fat ambitiose at parum perpensis boni publici rationibus agi, propositisque consiliis ad

## IV

ad illud promovendum tendentibus, non quid, sed quis proposuerit, quæti, ipsaque adeo exempla virtutis huius civilis irrideri, si in viro se ostendant novo, quem auctorem sequi infra se iudicant, quotquot rerum hucusque potiti sunt. Hac in virtute mirum quantum subsidii ad fulciendam et ab imminente quovis periculo defendendam rempublicam situm est.

Indigent ea præcipue, et, si omnino defecerit, labascunt atque demum corruunt civitates illæ, quarum opes angustis circumscriptæ sunt limitibus, non ad propellendam armis vim imminentis hostis satis validæ, non millies millia subditorum numerantes, sed contractiori in sphæra, quam dicunt, activitatis rebus suis prospicientes consilioque magis quam vi aperta singula agentes.

Hanc quidem civitatis nostræ conditionem esse, quis neget? Indiget non alia magis frequenti huius virtutis cives inter suos exertione, nec alia magis, si, quæ quotidie accidunt, intuearis, hac ipsa sustineri tibi videbitur. Huc integra eius constitutio tendit, ut cives aliqua existimatione fruentes non opinando tantum sive suadendo, verum agendo concurrant ad operam reipublicæ navandam, remotis commodi privati causis spretisque terriculamentis, quorum tanta vis apud eos est, qui nil nisi sua curant, molleque otium cuicumque operæ præferunt aliis præstandæ.

Cuius nescio an constitutionis an sensus honesti ea vis se ostendit in civitate nostra, ut in tanta officiorum reipublicæ causa capeffendorum multiplicitate, si quæ res occurrat, cuius bene ac dextere gerendæ reipublicæ interest, et quæ proinde novos labores poscit, metui nunquam locus sit, fore ut a civibus suis destituatur. Insigne huius rei nuper vidimus documentum. Non deerant sane, qui, cum consilia agerentur de cura pauperum, quibus mirum in modum numerosis opprimebamur, melius ordinanda, ægre persuaderi sibi passi sunt, non reformidaturos esse cives novorum hoc incrementum laboris ipsis demandandi, aut si, nemo omnino reformidet, sat numerosos inventum iri, qui in se suscipere idem possint, cum de hoc iam convenisset, minus dextere negotium processurum esse, si cura specialis plurium quam vicenorum pauperum singulis demandaretur. At vidimus omnes, plures ducentis civibus ad negotium hocce capeffendum aut sponte se obtulisse aut ad idem electos minime illud detrectasse.

At non defunt virtuti huic præmia sua in civitate nostra, non quidem illa, quibus quasi præcipuis incitamentis illecti in gentibus opulentis et magnæ subditorum multitudini iussa ferentibus singuli rerum potiri moluntur, largi reditus, inhoneste sæpe et per corruptionem direptionemve adacti, pompa non concivem sed dominum abjecti populi ostentans, et tanto maior criminum licentia, quanto altior supra ceteros elevatio. Nos inter si viveret Horatius, non haberet, cur satyricè irridendo acclamaret:

*O cives! cives! quærenda pecunia primum,  
Virtus post nummos.*

Etenim

Etenim nec nummorum acquirendorum fons apud nos sunt munia publica, nec acquirendorum ea dignatio, ut hac quasi præcipua commendatione ambire honores quis possit, in quibus constitutus speciem virtutis publicæ, quam post nummos quærendam is suadet, induere, et in admirationem sui rapere cives queat. Mature sane hic virtuti operam des oportet, si estimatione illius non fucata laudeque non ficta cives inter tuos frui cupis. At licet, quantum non alibi, mature hanc illi operam dare, et qualis futurus sis, quem ex te fructum respublica perceptura sit, fat longe ante quæritos partosque nummos ostendere. Non cohibet tuum de republica bene merendi studium defectus nobilitatis aut prosapiæ a viris ductæ de eadem iam olim bene meritis. Non arcet te a capeffendis primis honoribus, quod homo sis novus, ac ne id quidem, quod non intra moenia urbis natus, dummodo integer sis vitæ scelerisque purus, dummodo in te se ostenderit vis illa mentis, qua in gerendis negotiis præcipue opus est, plenus ipse sis consilii nec alienæ opinionis auctoritatisque imprudens sectator.

Eminuit diu huius virtutis amore atque exercitio, et tot inter alia vitæ bona constanti illius dignatione cives inter fruitus est *Vir Illustris Magnificus IOANNES LUIS*, Consul reipublicæ patriæ gravissimus. Cuius vitam ex mandato Amplissimi Senatus scribere dum aggredior, sentio, quam parum estimationi eorum sim additurus, qui coævi vixerunt et etiamnum superstites Illi vivunt sociique laborum atque officiorum, quæ reipublicæ causa capeffivit, testesve adfuerunt integritatis, dexteritatis atque prudentiæ, quam ille tantam in integra vitæ parte, quam publicam appellare licebit, ostendit. At erunt tamen quamplurimi, quibus vel per ætatem vel ob vitam diu extra moenia urbis actam non innotuerunt nisi novissima illius fata factaque, & quorum nosse intererit integram feriem actorum, per quæ de civitate bene meruit, imaginemque intueri morum, per quos solos omnibus, quotquot arctiori amicitæ ac necessitudinis sanguinisque vinculo cum illo connexi vivebant, ita se commendavit, ut diuturnum nec facile restinguendum Sui desiderium reliquerit.

Lucem adspexit LUISIUS nostra in urbe anno huius sæculi XXII die XVta Octobris. Pater illi fuit IOANNES HERMANNUS LUIS, negotiator spectatissimus, Senatoria tunc dignitate fungens, at postmodum anno MDCCXXXIX ad honorem consulatus promotus, in quo præmature triennio nondum exacto vitam finiit. Mater CATHARINA ELISABETHA, patre usa fuerat Nobilissimo HENRICO CRONENBURGIO, spectatissimo huius urbis cive. Pueritiæ curam habuerunt parentes optimi solertissimam, matureque illum cum fratribus, quorum in serie tertius erat, magistris tradiderunt probatissimis ad illos domi instituendos advocatis. Scilicet nondum illo tempore parentes inter luxuriam desidiamque vitæ domesticæ mature pertæsi filiorum iam non amplius puerilibus facetiis ipsos oblectantium ablegabant illos ad magistros e convictu puerulorum largo stipendio

## VI

repenso lucrum quarentes; et arcana nescio quæ pedagogica iactantes. At qui se pulchra prole beatos videbant, dissolutis minime vinculis domesticæ societatis, pertnaciori cum curâ illis prospiciebant, accersitis vel proprio consilio magistris idoneis, vel in eligendis iisdem auctoritatem secuti virorum, quorum de iudicio acri ac certo constabat. At si quem noverant virum doctrina moribusque præstantem, adultiores filios haud raro in convivium illius, et quod pluris intererat, in intimiorem consuetudinem atque manuductionem tradebant. Sic adhuc meminimus *Fabricium*, *Richelium*, *J. S. Müllerum* aliosque doctores publicos in contubernio habuisse secum iuvenes complures, quorum fere nemo istis e seminariis processit, nisi ad emetiendum subsequens vitæ stadium eximie idoneis.

E privata hac institutione iusto tempore NOSTER anno 1739 una cum fratre iuniore HENRICO adhuc superstite, Juris utriusque Licentiatò consultissimo, cum quo ad supremum usque vitæ diem coniunctissimus vixit, transit in primam Ioannei nostri classem ibique per integrum quadriennium commoratus est sub institutione *Ioannis Samuelis Mülleri* Rectoris, *Nendorfi*que Conrectoris, et, cum is munere se abdicasset, successoris *Richelii Reimari*, *Wolffi*, *Dornemanni* et *Schelliafferi* fructum perciperunt, cui præteritium statuere suum repetitoque præconio illum celebrare eo minus huius loci esse existimo, cum trium ex illis vitam meritaque publico in encomio suo tempore enarraverim.

Horum doctorum sub institutione biennium transegerat LUISIUS nulli non eorum industria, serâ ad literas adplicatione, moribusque præcipue probatissimus, iamque vicesimum quartum ætatis annum attigerat, cum plures una rationes subnatae sunt consilia de scopo vitæ immutando ineundi. Quod quis putet ea cum levitate mentis factum esse, quacum videas multos adolescentes in eligenda semita vitæ vacillare ita dubios, ut cum tandem certi aliquid decrevisse videntur vel ipsi affirmant, aut merui locus sit, ne denuò consilii poeniteat, aut ne omnia desultorie agant in prosequendo novo tramite, scilicet nunquam rite perpensis consilii rationibus, aut non perspectis itineris per subsequituram vitam emetiendi sive commodis sive incommodis atque difficultatibus. At LUISIO isto tempore spes se offerebat extrâ omnem fortunæ aleam posita vitæ non sane per otium torpidum sed iucundius utiliusque transigendæ, quam quâ frui permittimur, quotquot peracto studiorum academicorum cursu operam rei publicæ vel sacræ aut literariæ navandam offerimus, incerti diu, an et qua ratione eventurum sit, ut ipsi et nobiscum illi, de quibus bene mereri cupimus, laborum nostrorum fructu potiamur.

Mentionem iam ego inieci ætatis, quam attigerat NOSTER æque semper hucusque tenax propositi studio iuris semetdicandi. Nec ignorabat idem difficultatem stadii, in quod iam transeandum ipserat, mercaturæ nimirum cuius

cuius negotia post fata parentis in domo materna non sine proventu lucri honesti atque locupletis processerant. At simulac maturo consilio, quid faciendum sit, decreverat, manum sic adjecit novo operi in negotiis domus suæ, ut eximie sentiret, quod non facile sibi persuaderi sinat mercantium vulgus, in ea, quæ putant, adyta commerciorum faciliorem ingressum patere illi, qui annis ingenioque maturus, nec a literarum cognitione plane alienus in eadem penetrare tentat, præcipue si manu ductione fruatur. sincera nec secretas artes iactante. Post aliquod tempus necessitatem itineris sentiens in eas regiones, quibuscum domui ipsius arctior nexus intercedebat, partem illam Germaniæ, quæ versus Orientem vergit, peregrinando circuevit, ditiones nimirum Brandenburgicas et Austriacas et imprimis Saxoniam. Quo ex itinere redux connubio concelebrato, de cuius et felicitate et fausto proventu plura inferius dicam, domum suam sic constituit, ut mox spectatissimis civibus accenseretur. Existimationem, qua mature frui coepit, testatur collatorum in eum officiorum civilium iam enumeranda series. Annis nimirum 1751 et 52 in collegium iudicii inferioris adscitus, militiæ quoque præfidiariæ necessitates iisdem annis curavit. Rei tormentariæ sociam præstitit operam annis 1755 et 56. Idem annis 1755to ad 1759mum in tribunali maritimo locum habuit. Aerario mercatorum ab anno 1758 ad 1761mum adfuit, et postremo hoc anno ad curam ararii civitatis gerendam advocatus operam huic gravissimo negotio navavit per integrum sexennium scilicet lege constitutum. Haec inter annis 1748vo usque ad 1753tium Orphanotrophii et 1766to et 1767mo ædis D. Jacobi curam, illam Provisoris, hanc Jurati sub titulo usu recepto gessit. Sic nullus annus præter partem 1754ti ab aliquo negotio vacavit, in quo eius operam sive respublica sive sacra flagitavit. Quibus quidem omnibus ac singulis quanta ille cum fide integritate, solertia attentioneque ad singula, quibus bene observatis et curatis opus erat, perfunctus sit, qua demum ratione virtutem illam civilem, qua tanta et tantopere civitas nostra indiget, exseruerit, norunt aut discent ex actis collegiorum, quibus interfuit, et testimonio suo inquisituros edocebunt, quotquot post eum mentem manumque iisdem negotiis admoverunt.

Sub hæc illuxit prima Aprilis anni 1768, quo post fata Prudentissimi *Pauli Borenbergii*, subita morte in ipsa æde D. Catharinæ, dum sacris interebat, extincti, Senatus Amplissimus sua inter membra illum cooptavit, applaudentibus eo libentius lætiusque civibus, quo maiori existimatione hunc virum tanquam dignissimum Senatorii honoris candidatum suspexerant. In quo versatus omnia, quæ munia reipublicæ causa denuo obivit, recensere hanc præcipue ob causam supersedeo, quoniam pleraque ad eadem pertinent negotia, quæ antehac cum civibus collegis curaverat, præter iudicis officium, quo ante consularem diem is functus est. Annis nimirum 1773to usque in 1775mum præturam in civitate, et 1782 suburbanam exercuit.

## VIII

Novimus omnes forum hoc esse primæ, quam dicunt, instantiæ, et ob hoc ipsum præcipuæ, et utilitatis et sub sapiente, iudicæ, auctoritatis. Hic omnium fere litium initium fit, in quas qui descendunt, non sanè omnes aequali altercandi studio agitantur, necdum exacerbatis tandem animis, quam cum diutius iidem de iure contenderunt. Unde fit, ut, si iudicem naçti sint placida mente rationes utriusque partis ponderantem, auctoremque componendæ mature litis illis se præbentem, pronioribus is fruatur litigantium mentibus auribusque ad obsequendum iusta vel quæ utrivis parti conducunt suadentis. Hoc itaque studio præcipuo egit, ut omnes, qui ad tribunal ipsius confluebant, mature tentaret, an aliquo modo ad componendam litem inclinarent, aut, si animos videret nondum plane acerbatos, meliora edocere errantes quam iudicio punire severo præoptaret. Recti iustique tenax nunquam in commotiones animi irasque acerbas se proripi passus est, iis infestus, quorum causæ ne faveret, per regulas iusti legumque prohibebatur. Nihil unquam NOSTER egit turbanter et remissè, nihil iracunde ac impotentè, omniaque consilio prius experiri cupivit, quam decretis. His abstinentiæ, humanitatis, æquitatis et integritatis virtutibus tam alte animo infixis effecit, ut iudicem rixantes non amarent minus quam vererentur, nec quisquam facile, etsi voti non compos, indignatus ab eo discederet, pauci sententiis acquiescere gravarentur. Rarum profecto nostris temporibus exemplum, ac laude dignissimum!

Longum foret singula perfequi, eaque omnia civibus adhuc notissima. Satis erit eximia pauca duntaxat attigisse, ut appareat talem vere fuisse, qualem cognitum semper diiudicavimus.

Tali modo cum sexaginta duos annos complevisset, atque non minus dignitate quam gratia fortunaque crevisset, gravissimam ac in illo laude dignissimam Iudicis et Senatoris curam abruptit dies 27ma Augusti anni 1784ti, quum DOORMANNO immortalis memoriæ Viro morte nobis abrepto, summus honor, quem civitas offerre, summumque præmium, quod, sin aucta potestate et extensiori benefaciendi facultate id contingeret, a Summo Numine ei deferri poterat, in illum collocabatur, exultantibus eo magis omnibus bonis, quanto diutius Virum meritis factisque adeo insignem desiderio minime fucato sibi expetivissent. Quis poterat non lætari forte tam feliciter cadente? Quis non putabat Reipublicæ bene ominandum ex Consulatu Viri, cuius virtutes, summa æquitas ac insignis humanitas per multos annos tot tantisque Magistratibus gestis, spectatissimæ habebantur?

Etsi iam ætate satis provectus NOSTER, hæc nova eaque gravissima quum illi demandaretur provincia, etsi arduum sane officium, cumulatis negotiis, duplicatam diligentiam providentiamque postulanti, in humeros suscepisset, tamen adeo singularis ei inerat animi vis, necdum imminuta mentis acies, ab omni ferili morositate plane aliena, tam sincerus patriæ  
civium.

civiumque amor, nullius quantumvis gravissimi negotii onus reformidans, ut Consuli haud minus, quam antehac Senatori Prætorique applauderent omnes, *Virumque Optimum* amore sincero reverentiaque haud simulata prosequerentur. Tanto magis ILLE animum intendit ad omnia, quorum reipublicæ intererat, binis præcipue annis istis, quibus præsidium Amplissimi Senatus focia cum ANDERSONIO Magnifico consule etiamnum meritis florentissimo opera exercuit.

Ad consulares curas cum pertineret Patronatus ædis D. Jacobi, Gerontocomii suburbani ad ædem D. Georgii, nec non ergastuli urbani, huic officiorum incremento tribuit, quantum debuit, non minori cum diligentia, quam humanitate, animoque veræ pietatis Christianæ pleno.

At tempestivum iam duco de fatis vitæ privatæ eximie faustis paucula addere, deque felicitate domestica, qua ILLE tanta et pro modulo rerum humanarum fatis diuturna fruitus est. Ad rem familiarem constituendam connubioque firmandam fausto animum adiecitse ILLUM brevi post peractum iter iam supra meminimus. Sociam thori accepit die 23tia Junii anni 1748vi AGATHAM, *Joannis Diederici Beckhoffii* mercatoris quondam spectatissimi filiam unicam superstitem e *Sara* nata *Boscharta*, matrona nobilissima, felicitatis ex hoc connubio filix nascentis per aliquot adhuc annos teste, prognatam, virginem et animi indole et forma insigni, ceterisque, quæ sexum sequiorem ornant, commendatissimam, piam, pudicam, usque excellentem moribus, in quibus præcipua vis sita est ad iucunditatem vitæ conjugalis bene firmandam. Per quam mox numerosa prole beatum se vidit, nimirum

I. JOANNE GUALTERO, qui natus d. 12. Januarii 1749, e vivis excessit d. 11 Martii 1785.

II. Longe immaturiori fato occubuit GEORGIUS ANDREAS, a d. 27 Maii 1750 usque ad d. 2 Dec. 1753 vita fruitus. Quem subsequutus

III. JOANNES DIEDERICUS natus d. 6 Februarii 1754, Venerando Patri etiamnum superstes, cum in societatem negotiorum cum eodem descendisset, matrimonium inivit cum Virtutis laudatissimæ Virgine CATHARINA CECILIA HENRICI RÜCKER Senatoris civium communi amore adhuc fruentis filia. E quo connubio prodierunt

1) *Agatha Henrietta Dorothea* nata d. 28 Martii a. 1783.

2) *Catharina Cecilia* nata d. 17 Augusti a. 1787.

IV. SARA CATHARINA, nata d. 2. Junii 1756, felici iuncta matrimonio d. 11 Apr. 1780 cum Viro Amplissimo Consulissimo JOANNE SCHULTE J. U. D., tunc Secretario, civitatis iam Senatore, eximie de reipublica patriam promerente, filio B. ALBERTI SCHULTE, immortalis memoriæ Consul. Quo e connubio faustissimo prognatae sunt,

1) *Agatha Margaretha*, nata d. 30 Decemb. 1780.

2) *Maria Theresia*, nata d. 27 Marc. 1782.

3) *Elisabetha Joanna*, nata d. 2 Mart. 1783, denata d. 5 Martii 1784.

4) *Albertina*, nata d. 10 Martii 1785.

5) *Wilhelmina*, nata d. 10 Febr. 1787, denata d. 13 Octob. 1789.



X:

V. MARGARETA ELISABETH, nata d. 8 Junii 1757 nupta Viro Nobilissimo CONRADO RÜCKERO, Mercatori spectatissimo, HENRICI RÜCKERI Senatoris modo laudati filio negotiorum societate cum eodem coniuncto. Quo in coniugio procreati sunt

- 1) *Agatha Henrietta Dorothea*, nata d. 5 Februarii 1779.
- 2) *Henricus Joannes*, natus d. 9 Jan. 1781.
- 3) *Gualterus Theophilus*, natus d. 18 Aprilis 1784 at mox præmatura extinctus morte.
- 4) *Joannes Antonius*, natus d. 21 Januarii 1785.
- 5) *Conradus*, natus d. 9 Maii 1787.

VI. AGATHA, nata d. 18 Martii 1759 denata a. 1760.

VII. AGATHA, nata d. 11 Aprilis 1766, collocata per nuptias Viro Consultissimo DAVIDI SLÜTERO J. U. D. B. Consulis meritissimi JOANNIS SLÜTERI filio.

Hac in vitæ socia habuit LUISIUS ad supremum usque diem administram rei domesticæ prudentissimam, rerum secundarum consortem iucundissimam, adversarum solamen præsentissimum, matrem nullius curæ officiique negligentem, quibus in fovenda educandaque numerosa prole et inde a tenera ætate ad pietatem moresque decoros ac honestos formanda opus erat. Tanta unionis fuit dulcedo, tanta animorum consensio, ut difficile esset diiudicatu, uter alterum magis revereretur, an amaret.

Hisce tot tantisque vitæ fruentem deliciis, tot vitæ habentem causas tanta tamque multiplici utilitate societati reique publicæ commendatissimum lethalis, cheu! morbus haud opinantem est adortus. Fruitus erat *Vir optimus* per integram vitam si non robore corporis inconcussus, at valetudine tamen satis prospera, quam facies habitusque corporis nil adhuc senile ostendentes testari videbantur. At biennio circiter ante diem eius supremum doloribus e calculo renum natis vexari coeperat. Quem morbum olim quidem longe frequentiore nostra in urbe atque regione meminimus complurium aetatem maturam diu ac misere vexasse, et cum senectute ingravescentem satis seram mortem adduxisse. At rara illorum sunt exempla, quibus tam brevi post primordia morbi tempore exitialis ille evaserit. Initio quidem per intervalla cessante dolore licuit Viro in gerendis dextere negotiis constantissimo omnibus Senatus consessibus interesse muniisque Consularibus vacare. Sat diu viderunt ILLUM socii Venerandi laborum publicorum dolores dissimulantem acerrimos et brevioribus indies intervallis remissionem concedentes. Sub hæc domi suæ fruitus cura Experientissimi *Reimari*, fomentis leniminibusque dolorum adhibitis, remediisque, quorum aliqua vis esse creditur in emolliendo, solvendo aut saltem deducendo in viam, qua sola egressus patet, calculo. At nulla arte, nullis remediis impediri potuit, quo minus materies morbi in calculum conflueret majoris sine dubio molis, quam ut per arctos renum meatus vi naturæ extrudi posset. Sic ille in renibus hærens & iisdem

hisdem accrescens cruciatibus corpus afflixit adeo saevius, ut ad lectum aegroti patientiam tantam, quantam vix alius, malis opponentis suis accedentes conjux, liberi, amici temperare a lacrymis minime sibi possent. Tandem paucis ante obitum diebus refedit dolor, triste nascentis & ultra omnem spem remedii progressuræ gangrænæ. Quod IPSE non alio monente intelligens, totus exinde cælo futuræque felicitatis præsentione plenus, totus in fide & precibus patiendi & vivendi finem fecit die 31ma Januarii Anni 1788vi, cum annos sexaginta quinque cum tribus mensibus egregie factorum gloria ornatos vivendo expleffet.

Superest, ut pauca de moribus habituque non modo mentis, verum etiam corporis LUISII adjiciam. Formam corporis natura illi tribuerat eximie gratam, staturam non quidem proceram, sed quæ mediocritatem excedebat, corpus robustum, mediique inter gracilitatem & obesitatem voluminis. Rectus incessus & frons aperta animum et recti conscium et humanitatis plenum testabantur. Oris ea erat suavitas & commendatio, organorumque vocis ea conformatio, ut elocutione distincta & clara faciundiaque ab affectatione eloquentiæ aliena, omnium & venerationem & amorem facile sibi conciliaret. Ingenio erat arguto & perspicaci, quamvis non eorum e numero, qui primo intuitu, quicquid obvenit, celeriter se perspexisse aut ipsi putant, aut ostentationis causa, ut alios in admirationem aciei ingenii rapiant, perspexisse videri cupiunt. At eo minus iis obnoxius erat erroribus, in quos tanto facilius detruditur, quanto magis quisquis vi ingenii judicive sui confidit. Attamen simulac rem rite perpenderat, judicium EIUS certum erat & maturum, de præsentibus aut proxime instantibus verissime judicans & de futuris sagaciter conjiciens. In rebus gerendis eximie promptus, omnisque moræ nisi gravissimis e causis ortæ impatiens. Tenax sub hæc propositi nullis fallacium argumentorum præstigiis decipi vel subdola aliorum persuasione seduci se passus est, id magis intuens, quod se facere par esset, quam quod alii laudaturi forent. At nunquam tamen erubuit sententiam mutare suam, argumentisque & consiliis aliorum aurem præbuit facilem, si quidem appareret, aut nova quædam emerfisse, aut de re proposita decreturum latuisse rationes, quarum vis aliqua ad immutandam sententiam esse posset. Negotiorum, quæ semel capeffiverat, tanta erat cura, tanta in illis exequendis diligentia, ut non alienam sed suam rem videretur agere. Susceptorum Reipublicæ causa negotiorum nunquam EUM pertæsum est, nec facile suavi caruit laboris præmio ex perspecta eius utilitate percepto.

Similem plane se ostendit *Vir Optimus* in vita privata ac in publica. Uxoris liberorumque fuit amantissimus inque his recte educandis, sincera pietate imbuendis & ad literas, quantum opus erat, jam a tenera ætate instituendis, maximam operam diligentiamque posuit indefessam, caritatis plenam & ab omni morositate alienam. Cum e dote matrimo-

## XII

nioque conjugis laudatissimæ magna opum nata esset accessio, nihil de moribus mutavit, neque ad superbam divitiarum ostentationem seduci se passus est. Usus argenti non magnitudine sed ratione metiri solitus tantum abfuit a sacra auri fame, ut unice fere illo usus sit in re domestica bene constituenda, educandis honeste, digneque liberis, amicorumque commodis, quantum fieri poterat, promovendis, imprimis autem in negotiis commercii sui prudenter et quanta opus erat, cum facultate exequendis. Animo quamvis esset ad celeres motus satis proclivi, eximie tamen cavet, ne quis de injuria, inde sibi nata, conqueri posset. Quæ ab aliis minus recte facta judicabat, non odiis atque ulciscendimente profecutus est, verum facile in gratiam rediit cum singulis errorem confitentibus veniamque rogantibus. In sermone consuetudineque familiari comitate, hilaritate atque humanitate sua effecit, ut omnium animos sibi conciliaret. Alieni judicii opinionisve nunquam illiberalis fuit obrectator, nec in judiciis de vitiis aliorum ferendis unquam justo acrior. Nemo ILLUM vidit vel novit turpi alicui cupiditati inservientem, nec ea quidem ætate, in qua pro moribus seculi excusatio juvenibus satis apud omnes parata est. Integer vitæ scelerisque purus, quæcunque erat pollicitus, summa cum religione præstitit. Ab invidia omnino immunem ILLUM vixisse quis affirmet? at odiis aliorum nunquam exagitatam fuisse virum unicuique bene cupientem, quis est, qui neget? Multo minus IPSE odia in alios exercuit, inimicitiaque aut vindictæ ulla cupidine in quempiam defecit. Ab omni insolentia superbiaque etiam si alienus dignitatis tamen, in qua se constitutum videbat, eximie erat memor & abjecti obsequii erga alios expers.

Literis cum IPSE mature & ad virilem usque ætatem operam dedisset, utilitatem earundem, et in rebus, quæ ad civitatem pertinent, prospere gerendis necessitatem constanter agnovit. Hinc non solum singulos præcipuo favore profecutus est viros, de quorum eruditione et hinc nata in negotiis gerendis dexteritate probe ILLI persuasum erat, occasioneque subnata in ambeundis muneribus a parte illorum stetit. At juvenes quoque, qui semet scientis dicaverant, inopia pressos libenter sublevavit, simulac spes illi nata erat, fore, ut non in imo Parnassi limine subsisterent.

Cum nihil infra se putaret, nisi quod infra honestum virum esset, faciles pauperibus humilibusque audiendis præbuit aures, æqua petentibus libenter annuit, consilioque & re, quantum potuit, singulos adjuvit, effecitque, ut non incongrue, si non delicias generis humani, saltem delicias omnium, quibuscum ILLI vinculum aliquod sive necessitudinis sive familiaritatis sive amicitia intercedebat, aut qui ILLUM aliquo modo cognitum habebant, appellare EUM liceat.

Tanta

Tantæ, quam res nostra publica fecerat, - iacturæ refarciendæ postri-  
 die post iusta funebria viro omnibus bonis flebili perfoluta cum AMPLIS-  
 SIMUS SENATUS mente m adiiceret, suffragio et, ut lex poscit, forte  
 electus est *Vir Amplissimus Magnificus* MARTINUS DORNERUS, inde  
 ab anno 1765 Senator dignissimus, intensitate commerciorum haud magis  
 inclytus, quam ob officia negotiaque, quibus ob Rempublicam perfunctus  
 est, laude civium constante omniumque ore celebrata probatissimus. Qua  
 in lætitia publica præcipuam meam fuisse partem non habeo cur diffitear,  
 cum mihi mature contigerit, favore amicitiaque *eximii Viri* frui, admi-  
 rationeque tacita non ingenii modo vim prosequi nulli negotio bene ge-  
 rendo imparem, verum et animi ad quævis bona propensionem et occa-  
 sione qualicunque subnata bene merendi studium. Quem virum atate  
 adhuc satis florente necdum imminuta valetudine ad fasces Reipublicæ  
 admotum ut Summum Numen ad terminum usque vitæ talem servet, qua-  
 lem res humanæ raro permittunt, sincere opto, de assensu omnium, qui  
 Reipublicæ bene cupiunt, longe certissimus.

